

obest, quod Aug. L. de dono pers. dicat : *Sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ quodammodo esse videtur obduratio* : nam præterquam quod particula *quodammodo* imminuat significandi rationem et dicti proprietatem alienet, vel ex ipsa etiam comparatione constat, non agi de reprobatione a gloria, cum nequidem prædestinatio hic in ordine ad gloriam accipiatur.

264. R. IV. Pœna tum *damni* tum *sensus* sola alterius vitæ est reprobationis effectus.

Ratio dicti est, quia utraque pœna est a Deo justo vindice, eaque intentione, ut peccator æternum luat, quemadmodum ex sententia Christi Matth. 25. patet. *Ratio exceptionis* constat tum ex præmissis, tum quia pœnæ hujus vitæ nunquam sunt pure vindictivæ; sed quantum est ex parte Dei, medicinales esse possunt, si homo velit converti. Quod mortem in statu peccati attingit, si ea, ut *regulariter* fit, accidat ex generalibus causis Deo permittente, effectus reprobationis non dicitur, cum ante illam mortem permissam et ut absolute futuram prævisam, non absolute prævidetur peccatum finale futurum, quod scilicet per ipsam mortem fit peccatum finale; consequenter nec ante intelligitur reprobatio seu sententia talem hominem damnandi. Si vero mors eveniat ex speciali ordinatione et causalitate Dei, qualis v. g. fuit in *Dathan et Abiron* a terra per miraculum hiante confectis, potest effectus reprobationis dici; quia hæc mors est velut traditio hominis adhuc viventis in manus tortoris atque æternæ damnationis initium, ante cujus prævisionem Deus jam decrevit hunc hominem propter sua peccata damnare, atque ad hoc illam mortem ordinavit.

ARTICULUS III.

AN PRÆDESTINATIANA HÆRESIS FICTA SIT ET COMMENTITIA, AN AUTEM VERA ET REALIS?

265. *Nota I.* Ut hæresis aliqua re ipsa extitisse dicatur, duo requiruntur et sufficiunt; 1^{um}. ut dogma sit perversum et contra fidem; 2^{um}. ut extiterint aliqui dogmatis illius assertores; sive demum in factionem coaluerint, sive non. Quod ad dogma spectat, illius varia jam olim capita retulerunt GENNADIUS in appendice ad S. AUG. librum de hæres., FAUSTUS Episc. Rejensis in epist. Conc. Arelatensis, LUCIDUS PRESB. in libello ad Conc. Lugdunense delato, Auctor libri, quem SIRMONDUS, sub nomine PRÆDESTINATI edidit, et HINC MARUS in ep. ad Nicol. I. Pontificem.

Præterea ex his, unde *Prædestinatiani* vocantur, est, singulos homines antecedenti, absoluto ac necessitante decreto a Deo prædestinari alios ad vitam seu salutem, alios ad mortem seu damnationem; cujus perversitas ex triplici prædicato decreti apparet, et ex data ab antiquis explicatione dogmatis alias ambigui colligitur. Quatuor inde alia capita deducunt: 1^{um}. Deo non inesse voluntatem salvandi omnes, sed eos tantum, qui re ipsa ex prædestinatione illa salvantur; hinc nec creatos omnes, ut salventur, nec ea voluntate vocatos, ut vocantem sequantur: 2^{um}. Christum non fuisse mortuum pro omnibus, cum multi damnentur, sed dumtaxat pro prædestinatis ad vitam:

3^{um}. nullum esse in homine liberum arbitrium; cum nihil sit, nisi quod voluerit Deus, et tam gratia quam destinatio Dei ad malum invitos etiam trahat et compellat: 4^{um}. Sacramenta in prædestinatis ad mortem otiosa esse et sterilia, nec iis conferre gratiam ac peccatorum remissionem; adeoque illos etiam post Baptismum legitime susceptum perire in Adam seu ob peccatum originale: quin et ipsos ad vitam prædestinatos non accipere fructum ipsum, sed tantum spem fructus sacramentalis in cœlo possidendi.

Horum dogmatum assertores secundum diversa tempora extitisse a Patribus, Historicis aut Theologis perhibentur: tum *primis quatuor seculis* et ante pugnam Augustini cum Pelagianis eorumque reliquiis susceptam; tum *seculo quinto*, sive Augustino adhuc vivente, sive eo jam mortuo et Properi ac Hilarii ætate, sive Arelatensis et Lugdunensis Concilii tempore et eo seculo jam inclinante: tum sub *nomi seculi* medium, inter quos maxime *Gottschalcus* memoratur: denique posterioribus seculis fuerunt præformatores Lutheranae et Calvinianæ hæresis etiam quoad errores Prædestinationis, *Wicleffus* nempe et *Joannes Huss*.

266. *Dico I.* Prædestinatianam hæresin primis jam seculis enatam esse, non satis ostenditur; proximis ante Lutherum et Calvinum seculis extitisse, indubitatum est.

Prob. 1^a. p. Tum quia Scriptorum plerique omnes hæresin hanc ex libris S. AUG. male intellectis natam asserunt, et nemo eorum in assignando illius ortu ultra seculum quintum ascendit: tum quia Patres quidam, qui vel primarii dogmatis meminerunt, vel errores cum corollariis, communes *Manichæis* et *Pelagianis* impugnant, non sufficiunt ad asserendam illis temporibus existentiam prædestinatianæ hæresis: ii enim Hæretici libertatem arbitrii alio ex capite, quam *prædestinationis*, negarunt.

Prob. 2^a. p. *Wicleffus* et *Joan. Huss* asseruerunt prædestinatos necessario in bono perseverare et salvari; præcitos autem necessario peccare et damnari: hoc autem ideo fieri, quia omnia necessario eveniunt: hanc porro necessitatem oriri a præsentia Dei et prædestinatione; uti patet ex eorum artic. damn.; ergo.

267. *Dico II.* An hæresis prædestinatiana extiterit *seculo v.* aut *ix.* inter auctores adhuc controvertitur.

Exponitur. Extitisse his seculis hæresin illam, asseruerunt recentiores seculi xv. et xvi. Scriptorum ALPHONSUS DE CASTRO, DIDACUS ALVAREZ, BARONIUS, BELLARMINUS, BINIUS, SPONDANUS, alique omnes, qui illius hæresis meminerunt. Primus, qui ea ætate id negavit, fuit *Jacobus Usseus* calvinista, tum in historia Gottschalci ac prædestinatianæ controversiæ an. 1631., tum in Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus an. 1639. editis. Hunc secutus est e Catholicis *Jansenius*, qui priore Usseii opere explicato, L. 8. de Pelag. hæres. pro fabula declaravit hæresin prædestinatianam. Duumviris his opposuit se JAC. SIRMONDUS S. J. qui, post alia præmissa demum an. 1647. in lucem dedit historiam prædestinatianam: ubi tres hujus hæresis epochas distinguit. In *prima* earum statuit, sectam illam an. 424. exordium sumpsisse apud Monachos *Adrumeti*; sed ab Augustino mox extinctam: emerxisse tamen postea apud *Massilienses* in Gallia, ad cujus excisionem cum

S. HILARIUS et PROSPER per litteras primum AUGUSTINI opem implorassent, hoc autem non multo post mortuo, Romam profecti sollicitassent Coelestinum I., ab eo Pontifice an. 430. esse damnatam. In *secundo* exponit eandem hæresin in *Lucido Presb.* renatam, sed curante FAUSTO REJENSI circa an. 475. in Conc. Arelat. et Lugdun. rursus condemnatam; quæ condemnatio etiam in Conc. Araus. II. an. 529. est renovata. In *tertia* statuit, errorem a *Gotteschalco* esse resuscitatum; sed et eundem a RABANO Archiepiscopo Mogunt. in Synodo an. 848. habita, tum ab HINC MARO Rhemensi Archiep. in Synodo Carisiaca an. 849. damnatum.

SIRMONDI refutandi et *Jansenii* defendendi partes suscepit *Gilbertus Mauquin*, Curiae Monetariae in Galliis Praeses, emisso sub an. 1650. in lucem libro, quo fabulae prædestinatianæ confutationem exhibet. Contra hunc vindicias pro *Sirmondo* jam mortuo dedit LUDOV. CELLOTIUS S. J., qui edita 1653. historia GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI, adjunctaque appendice miscellanea operum nondum editorum, omnem *Mauquini* dissertationem præcipue et confutationem excussit. Ab hoc tempore in plures partes discessum est. Alii mediam ingressi sunt viam, neque omnes illas epochas tanquam veras admittendo, neque omnes tamen velut falsas abjiciendo; quales fuerunt CARD. NORISIUS, NATAL. ALEX., HONORATUS TOURNELY, aliique plures; quorum vestigiis et nos insistemus.

268. *Observa.* Quod *Jansenistæ* plerique omnes (quorum contribulem *Mauquinum* esse non solum CELLOTIUS pluribus in locis ostendit, sed et ipse satis vel in una præfatione declarat) prædestinatianam hæresin pro fabula venderent contendunt, non tam in veritatis studio, quam erroris sui ab invidia liberandi causa faciunt non minus ac dum *Baianismum* et *Jansenismum* ipsum inter mera phantasmata referunt. Cum enim FAUSTUS in Conc. Arelat. talia de prædestinatione, voluntate salvandi, Christi morte et libertate hominis dogmata damnanda proponat, *Lucidus* in Lugdunensi retractet, RABANUS et HINC MARUS in *Gotteschalco* condemnent, quæ similia et eadem sunt cum suis erroribus; multum sane eorum interest, ut illa omnia tanquam commentitia rejiciant, aliisque persuadere conentur. Quamvis vero, qui e catholicis eadem in hac controversia sentiunt, facilitatis quidpiam pro systemate *prædestinationis gratuita* suo capere fortasse queant; nolim tamen, nec ausim illos maligna hujusmodi causa inductos dicere: præsertim cum ex ipsis systematis hujus patronis nuper laudaverim aliquos, qui nostræ opinionis duces et antesignani fuerunt.

§ VI.

AN ÆTATE S. AUGUSTINI EMERSERIT HÆRESIS PRÆDESTINATIANA?

269. *Dico I.* Non videtur nata esse hæresis prædestinatiana in Monasterio Adrumetino.

Prob. Ut dicatur in *Monasterio Adrumetino* hæc hæresis nata, oportet vel hujus Monasterii Abbatem Valentinum, vel Felicem et Cresconium cum suis, vel Florum cum reliquis Monachis fuisse prædestinatianos: sed nulli eorum erant prædestinatiani. Non *Valentinus*; utpote cujus fides nec ab

accusatoribus, Hipponem profectis, erat in dubium vocata, nec aliunde suspecta, sed potius maxime probata; ut patet tum ex ejus litteris ad S. Augustinum ac Evodium, tum ex eorum ad illum responsoriis. Nec *Felix* et *Cresconius* cum suis; tum quia isti ex ep. ad Sixtum, quæ negat gratiam secundum merita nostra dari, adeo sunt commoti, ut ab Augustini doctrina abhorrent: tum quia hi Florum accusabant, quasi liberum is negaret arbitrium: tum quia iidem a S. Aug. docendi et præmonendi erant contra Pelagii errores, ut ipse in ep. 47. (al. 215.) ad Valentinum testatur. Nec *Florus*; quia quamvis erat accusatus, ac si omnia sic tribueret gratiæ, ut etiam liberum negaret arbitrium, falso tamen et ex imperitia id in eum conjiciebatur; ergo.

Conf. 1. S. Aug. utrumque, quem ad *Adrumetinos* misit, librum ex eo potius sine scripsit, ut Pelagianam hæresin profligaret, ac semina Semipelagianæ ibi subnascentis elideret, quam ut hæresi Prædestinatianæ exortæ resisteret.

Conf. 2. S. Aug. in libro de *Hæresibus*, quem an. 428. ad Quodvultdeum scripsit, quamvis obscuriores etiam hæreses commemoret, nec minimam tamen *Prædestinatianæ* mentionem facit; quin prope libri finem Pelagianam omnium recentissimam compellat; ergo.

270. *Dico II.* Nec videtur eadem proxime ante aut post mortem S. Aug. erupisse in *Gallia*.

Prob. Quos S. PROSPER sive in epistola ad Augustinum accusat, sive in epistola ad Rufinum describit, sive in suis Opusculis ad Capitula Gallorum et Vincentianas objectiones refutat, et quos demum S. COELESTINUS in suo ad Galliæ Episcopos Rescripto condemnat; hi omnes ab utroque ubique exhibentur tanquam hostes Augustino infensissimi, perpetuo eidem obloquentes, ac immania errorum portenta illi affingentes: sed hic character nequit congruere Prædestinatianis; omnino tamen Semipelagianis est proprius; ergo.

Conf. 1. Prosper et Hilarius opem Augustini implorantes in sua ad eum Epistola sic aiunt: *Eventi ex dispositione misericordiæ Dei, ut, cum quidam in Africa similia movissent, librum de correptione et gratia, plenum divini auctoritatis emitteres*: ergo idem error erat *Massiliensium*, qui *Adrumetinorum*. Sed hic non erat Prædestinatianus; ergo nec ille.

Conf. 2. S. Aug. *Massilienses* a Prospero et Hilario accusatos refutans scriptis de Prædest. Sanct. et Don. persev. libris, non assumpsit dogmata hæresi Prædestinatianæ, sed *Semipelagianæ* opposita probare; ut patet ex utriusque libri scopo.

Conf. 3. COELESTINUS in præfatione ad Capitula, quæ epistolæ ad Galliæ Episcopos subjungi solent, declarat a se proferri decreta seu Sedis Apostolicæ Episcoporum auctoritates contra eos, qui *Magistris nostris*, inter quos S. Augustinum haberi asserit, *obloquentur*; de ea hæresi, quæ *inimicos gratiæ et nocentissimos liberi arbitrii defensores* complectitur; ex iis sententiis, quas *Africana Concilia sanxerunt et suas fecerunt Apostolici Antistites*: sed hæc omnia adjuncta rursus pertinent ad designandam Pelagii hæresin, non autem Prædestinatianam; ergo.

271. *Nec dicas cont. 1^{um}. 1^o.* S. Aug. in ep. 46. (al. 214. n. 1.) ad Valent. scribit: *Retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum,*

eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium. Simile etiam quid notat in ep. 47. (al. 215. n. 1. et 2.) ad eundem; ergo *Adrumetini* negabant liberum arbitrium sub motione gratiæ, quod est prædestinatianum. 2º. Idem tum in memoratis epistolis, tum in L. de grat. et lib. arb. probandum assumit liberum arbitrium esse in homine, nec destrui gratia, ideoque plura in hanc rem testimonia profert; ergo *Adrumetini* debuerant esse, qui negarent liberum arbitrium; et consequenter aderant Prædestinatiani. 3º. *Hincmarus* in ep. ad Nicol., et L. de prædestin. ortum hæresis Prædestinatianæ refert ad contentiones *Adrumetinorum*; *Evonius* etiam in ep. ad eosdem Monachos, ita eos reprehendit, ut haberi possint pro Prædestinatianis.

Ad 1ºm. R. D. Cons. ; Ergo *Adrumetini* reipsa negabant liberum arbitrium sub motione gratiæ N. ex opinione falsa *Cresconii* ac *Felicis* eorumque simili relatione C.

Ad 2ºm. R. T. A. N. Cons. Tum quia, etsi etiam animo expugnandi Prædestinatiani erroris hæc scripsisset *Augustinus*, tamen non sequitur reipsa ortum fuisse illum errorem; cum potius constet, falsa narratione deceptum fuisse S. Doctorem: tum quia pro libero arbitrio tam contra *Semipelagianos*, quam contra *Prædestinatianos* pugnare necesse fuit; cum illi negarent posse manere liberum arbitrium, si gratia foret necessaria: hi vero negarent absolute libertatem, quia gratia necessitans iuxta eos dabatur. Ex modo autem probandi a S. Doctore usurpato facile colligitur, eum contra *Semipelagianos* potissimum certasse; eo quod Liber de gr. et lib. arb. totus in eo versatur, ut ostendat gratiam non dari secundum merita nostra, nec tamen inde perimi liberum arbitrium.

Ad 3ºm. R. Quoad primum, *Hincmarum* quidem hoc sensisse, sed fuisse deceptum, vel quod non adverteret S. *Augustino* falsa expositione primum esse impositum, vel quod nimium crederet auctori *Prædestinati*, qui subinde *Semipelagianos* cum *Prædestinatianis* confudit. Quoad secundum, *Evonium* potius ostendere, quod aliquos Monachorum habuerit pro *Semipelagianis*, cum illam epistolam sic concludat: *Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris primum affectum; et quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent, ut intelligant.*

272. Nec dicas cont. 2ºm. 1º. SS. *Prosper*, et *Hilar.* in suis ad *Aug.* epistolis referunt *Massilienses* dicere, divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, et sub nomine prædestinationis induci fatalem necessitatem; ergo dogmata prædestinatiana apud eos viguisse tradunt. 2º. Auctor *Prædestinati* de libro quem Prædestinatiani S. *Augustino* supposuerunt idipsum testatur. 3º. Similia refert *Photius* in *Biblioth. Cod. 54.*; ergo.

Ad 1ºm. R. D. A. Referunt *Massilienses* hæc dicere hypotheticæ ac illative, nempe si necessaria ad omne opus bonum et initium etiam fidei foret gratia nullis naturalibus meritis debita, sequi quod tollatur libertas, virtutes removeantur etc. C. Referunt hæc dicere absolute et assertive, nempe admittere gratiæ motionem simulque libertatis interitum N. Prius *Semipelagianum* esse, posterius Prædestinatianum, patet ex jam sæpe dictis.

Ad 2ºm. R. Cum *Cælestinum*, *Prosperum* et alios *Augustini* discipulos ac

fidei vindices sola tum temporis *Semipelagiana* hæresis occupatos tenuerit; *Scriptori* illi hac in parte negamus auctoritatem et consequentiam.

Ad 3ºm. R. N. min. Patet enim, *Photium* toto hoc capite agere duntaxat de *Pelagianorum* et *Nestorianorum* hæresi, cujus ortum et condemnationem vivente *Augustino*, eo autem mortuo hæresis instaurationem, et per *Cælestinum* profligationem recenset, aliæque tandem a succedentibus contra hos hæreticos scripta factaque subjungit. Quod autem novum adhuc vocaverit hanc hæresin errorem ideo accidit, quia, licet *Semipelagiani* erant reliquæ *Pelagii*, nova tamen hæresis *Pelagianæ* lenimenta, latebras, insidias et explicandi modos cum novis in S. *Augustinum* querelis proferebant, ut aliunde constat.

273. *Observa.* Quod *Adrumeti* in *Africa*, et *Massiliæ* in *Gallia* nullus eorum Prædestinatianus fuerit, quos sive *Augustinus* et *Prosper* oppugnarunt, sive *Cælestinus* condemnavit, affirmavimus; atque hoc ad refellendam *Sirmonti* sententiam sufficit: quod vero alius nemo ætate *Augustini* eo errore infectus fuerit, nec asseruimus, nec asserere audemus; tum quia S. *Aug.* L. de don. persev. c. 15, postquam dixisset non deterrendos nos esse a confitenda Dei gratia et secundum eam prædestinatione sanctorum, sicut non deterremur a confitenda Dei præscientia, licet quis exinde male illata sequela verteretur in torporem, et ad malas concupiscentias iret; denum subjungit: *Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cur quedam non facienda faceret, et facienda non faceret, respondebat: qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præcivit. Qui profecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii solitudine fieret canis reversus ad suum vomitum: tum quia ad negandum illum ea ætate extitisse Prædestinatianum, necesse foret scire omnia et opiniones omnium qui eo tempore extiterunt.*

§ II.

AN POSTERIORE SECVLI V. PARTE EXTITERIT HÆRESIS PRÆDESTINATIANA?

274. *Dico.* *Lucidus* Presb. Seculo V. adhæsit erroribus prædestinatianis: adeoque hæresis prædestinatiana non est omnino conficta ac commentitia.

Prob. Errores prædestinatiani sunt: asserere 1º. laborem humanæ obedientiæ non esse jungendum divinæ gratiæ; 2º. post primi hominis lapsum ex toto extinctum voluntatis arbitrium; 3º. Christum mortem non suscepisse pro omnium salute; 4º. præscientiam Dei hominem violenter compellere ad mortem, vel Dei voluntate perire qui pereunt; 5º. baptizatum qui delinquit perire in Adam; 6º. alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos etc.: sed his erroribus adhæsit *Lucidus*; tum quia *Faustus Rejenensis* in epistola, qua *Lucidi* errores *Episcopis* in Synodo *Arelat.* a. 475. congregatis innotuisse, et censuras Ecclesiasticas in eos ab his jam paratas significat, 1ºm., 3ºm., 4ºm. et 5ºm. proponit damnandum, eique minatur: (*Lab.* t. 4. p. 1043. E.): *Quod si eam subscriptam transmittere nolueris, aperte adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis, ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam: tum quia Lucidus in libello suo, Episcopis Lugdunensis Concilii oblato, omnes illas propositiones*

cum aliis etiam adjunctis non tantum quasi impias et sacrilegiis repletas condemnat; sed et sic suum scriptum emendationis orditur (ib. p. 1044. D.): *Corruptio vestra salus publica, et sententia vestra medicina est. Unde et ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, et salutifera confessione me diluam; ergo.*

Conf. In Conc. Arelatensi fuerunt damnati errores prædestinatiani, ut constat ex præfatione librorum FAUSTI ad Leontium Arelatensem Episcopum: sed *Lucidus* adhæserat erroribus ab Arelatensi damnatis, ut liquet ex iis quæ post exordium his verbis subjungit: *Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum, qui dicit humanæ obedientie laborem divinæ gratiæ non esse jungendum; ergo.*

175. *Nec dicas* 1°. Concilia illa Arelatense ac Lugdunense ficta sunt; ergo nihil præsumunt ad hæresin prædestinatianam in *Lucido* asserendam. *Prob. A.* 1°. Quia eorum solus FAUSTUS meminit, Semipelagianorum princeps et profundæ vir calliditatis, præter hunc usque ad HINC MARUM nullus. 2°. Quia epistola FAUSTI ad *Lucidum* laudatur tanquam subscripta ab undecim Episcopis; et tamen HEN. CANISIUS æque ac SIRMONDUS testantur in MSS. suis Codicibus desiderari subscriptiones. 3°. LEONTIUS, qui tamen horum Conciliorum Præses dicitur, non legitur subscripsisse; *Lucidi* vero nomen in plurimis exemplaribus epistolæ FAUSTI ad se missæ subnotatum reperitur: quod utrumque suppositionem indicat.

R. N. A. Quoad prob. 1^{am}. R. In primis non unum FAUSTUM sed et *Lucidum* meminisse Conciliorum, liquet ex prioribus: deinde quamvis illo et sequentibus seculis ad HINC MARUM usque nemo unus eorum mentionem fecerit, non inde conficitur ea nunquam fuisse; cum quandoque eadem ætate quotannis, ex Hilarii et Rom. Pont. decreto, sub præsidio Leontii celebrata fuisse Concilia in Gallis certum sit, licet nulla eorum memoria apud alios extet, nec decretorum copia habeatur.

Ad prob. 2^{am}. R. Fatentur equidem CANISIUS in Codice Monasterii S. Galli et SIRMONDUS in Codice Hincmari, subscriptiones illas desiderari; sed nec illi soli Codices habent eam epistolam, et auctores illi etiam asserunt subscriptionem in aliis Codicibus reperiri, quorum exemplaria tam in Bibliotheca Patrum, quam in Conciliorum collectionibus extant.

Ad prob. 3^{am}. R. Ex hoc partim defectu, partim additamento mere accidentali impugnari non posse authentiam epistolæ Faustinae, facile dabit quilibet, nisi similem ob causam rejicere sustineat infinitam Codicum præstantissimorum multitudinem. Cæterum probabilis est conjectura NORISU, qui L. 2. Hæres. Pelag. putat, initio quidem FAUSTUM epistolam a se tantum subscriptam ad *Lucidum* misisse, eumque *Lucidus* eam epistolam a se probari rescripsisset, quo emendatio ejusdem evaderet celebrior, curasse, ut in alio Episcoporum Arelate nuper congregatorum conventu, vel ad dedicationem Basilicæ, vel ad aliud negotium collecto, eum illis *Lucidus* simul epistolæ subscriberet: hincque factum, ut in quibusdam exemplaribus post Episcopos *Lucidi* nomen subscriptum legatur.

276. *Nec dicas* 2°. Prædicta Concilia saltem erant Semipelagiana. *Prob. 1°.* Quia propositiones, quas *Lucidus* retractat ex FAUSTI præscripto, erant

argumenta quæ Semipelagiani objiciebant Augustinianæ doctrinæ, Prosper vero et Fulgentius refutarunt. 2°. Quia hæc Concilia approbarunt libros FAUSTI Semipelagianis erroribus scatentes; cum FAUSTUS in præf. supra cit. dicat eos post Arelatense Concilium, Lugdunensi jubente synodo, esse scriptos. 3°. Quia tum epistola FAUSTI ad *Lucidum* tum libellus *Lucidi* ad Concilium, quæ certo a Conciliis probata constat, continet errores Semipelagianos; ergo.

Ad prob. 1^{am}. R. Ex classe triplici hominum, qui ex Libris S. AUGUSTINI male intellectis turbati erant, quorum alii, *Semipelagiani*, dogmata erronea in Auc. criminabantur, alii, *Prædestinatiani*, vel simplicitate, vel illorum argutiis inducti, in iis dogmatibus veram Auc. doctrinam judicabant contineri, alii ob quædam minus clara in ejus libris, a S. Doctore petierunt edoceri, liquet quod quæ fuerant obtreccationes contra doctrinam S. Doctoris, potuerint esse errores in malo sensu assertæ.

Ad prob. 2^{am}. R. N. A. Epistolam duntaxat FAUSTI ad *Lucidum*, non vero ejus libros de gr. et lib. arb. a Conciliis probatos esse certum est; tum quia epistolæ tantum subscripti Patres Arelatenses leguntur; tum quia post Arelat. Concilium a Lugdunensi commissum FAUSTO esse negotium scribendi contra *Prædestinatianos*, patet ex textu ejusdem ultimo, et ex verbis priori textui subjectis. Cæterum mandati a Leontio et Synodo Lugdun. dati limites excessit FAUSTUS, dum in suis libris non tantum *Lucidi* errores *Prædestinatianos* confutavit, sed etiam dicta occasione S. AUGUSTINUM impugnavit, et *Semipelagianos* errores operi suo inspersit.

Ad prob. 3^{am}. R. N. Ass. Sensus anathematis a FAUSTO propositi est, damnandos eos qui dicunt baptismum frustratorie ac sine effectu seu remissione peccati suscipi ab eo qui non est prædestinatus, adeoque dum perit, perire ob originale etiam peccatum, utpote nondum remissum; quod ipsum Trid. Sess. 6. Can. 17. in Calvinisticis damnavit. In *Lucidi* autem anathemate lex naturæ solitarie sumpta non dicitur gratia prima, sed *lex naturæ in adventum Christi*, seu spectata cum gratia, quæ ex futuro Christi adventu in illam legem ac statum legis redundabat.

§ III.

AN SEculo IX. GOTTESCHALCUS HÆRESIN PRÆDESTINATIANAM RESUSCITAVIT?

277. *Dico.* *Gotteschalcus* hæresin prædestinatianam videtur seculo IX. resuscitasse.

Prob. ex judiciali sententia in eum a Conciliis Moguntino et Carisiaco I. lata. PRIMAM exponit RABANUS in epistola Synodica ad Hincmarum missa, quæ sic habet (Lab. t. 8. p. 32.): *Notum sit Dilectioni vestræ quod quidam gyrovagus Monachus, nomine Gotheschalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, et populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatio Dei sicut in bono, sit ita et in malo, et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et penæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes et incorri-*